



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvæstio XX. De subiectione Christi ad Patrem. In duos Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Multis in  
carnatione  
secuti, præ-  
destinati  
sunt ex pe-  
culiari ob-  
latione  
meritorum  
Christi  
pro ipso.

Respondeo Secundò; Etsi illi qui Christi incarnationem præcessere, non possunt commodè intelligi prædestinati ex peculiari oblatione meritorum Christi pro ipsis, tamen multi qui secuti sunt incarnationem, possunt sic intelligi à Deo esse prædestinati, quod insinuant multæ Scripturæ. Ioan. 13. v. 18. *Ego scio quos elegerim. Et 15. v. 16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Psalm. 2. v. 8. *Postula à me & dabo tibi Gentes hereditatem tuam.* Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra.* Quæ loca insinuant non fuisse Domino omnes saluandos ita præscriptos ex nudo beneplacito Dei, vt ipsius humana voluntas nihil circa illos posset, nisi exequi Dei efficacem ordi-

nationem: sic enim ipsius potestas magis esset limitata, quæ cuiusvis Proregis vel Gubernatoris in administratione prouinciarum. Valdè ergo probabile est, plurimorum salutem vel fortè omnium, qui post Christi incarnationem vixere, non fuisse completè prædestinatam sine interuentu peculiaris voluntatis ipsius Christi. Si quis tamen totam prædestinationem velit in diuinam voluntatem referre, dicere potest hanc peculiarem Christi voluntatem, ad effectus prædestinationis pertinuisse. Verùm prior sententia magis placet. De hac re, vide Disputationem de Prædestinatione Christi, vbi sect. 3. fusè tractatur quomodo Christus sit causa nostræ prædestinationis.

## QVÆSTIO XX.

### De Subiectione Christi ad Patrem.

*In Duos Articulos diuisa.*

#### ARTICVLVS I.

##### *Vtrum Christus sit subiectus Patri?*

**R**espondeo; Christus vt homo, est Patri subiectus secundum bonitatem, seruitutem & obedientiam.

Subiectio  
bonitatis.

Quòd subiectione Bonitatis; patet: Quia Christus homo habet omne suum bonum à Patre tamquam riuius à fonte: ergo &c. Et quæuis secundum diuinam naturam, etiam omnia habeat à Patre, tamen non est illi secundum hanc subiectus: quia bonum huius naturæ in Christo, non est minus bono Patris, sed vnum idemque.

Subiectio  
seruitutis.

Quòd sit subiectus subiectione Seruitutis; patet; quia humanitas Christi erat subiecta dispositioni paternæ; & omnia quæ circa illam gesta sunt, ex Patris dispensatione gesta sunt. Deinde; Christus in Scripturis sæpè vocatur Seruus Dei. Isaia 42. v. 1. *Ecco seruus meus*: quod de Christo exponitur Matth. 12. v. 18. licet hic dicatur; *Ecco puer meus*. Sed est idem; vt notat Hieronymus in Isaia. Item Isaia 43. v. 10. *Et seruus meus quem elegi*; vt exponit Ireneus lib. 3. contra hæreses cap. 6. Isaia 35. v. 11. *Iustificabit seruus meus multos*: Et alibi. Idem docent multi Patres.

Dices; Synodus Francfurdiensis circa annum Domini 791. & Adrianus I. in epistola quæ ibi habetur, negant Christum esse Seruum Dei, nisi figuratè intelligatur; quomodo dicunt intelligi in veteri testamento: in nouo autem non vocari Seruum, sed Filium. Quod confirmatur; Matth. 21. Pater familias misit seruos suos; postea mittit non seruum, sed Filium. Confirmatur Secundò; Quia Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 21. negat humanam naturam in Christo esse seruam.

Seruus di-  
citur Tri-  
plicitè.

Respondeo; nomen *Serui*, triplicitè accipi. Primò; vt significet vilem quandam conditionem ex peccato contractam, quæ consistit in quadam indignitate contracta ex culpa & carentiâ iuris ad cælestem hereditatem: Sicut patet ex similitudi-

ne seruitutis legalis. Et hoc modo certum est Christum hominem non esse seruum. Et quidam existimant nihil aliud Adrianus Papam, & Synodum Francfurdiensem velle. Verùm si quis totum illorum discursum perpendat, dubitare non poterit quin longè aliud velint. Neque vllò modo Elipandus Archiepiscopus Toletanus hoc sensu Christum dixit Seruum. Secundò; Accipitur *Seruus* proprie pro eo, qui ita est sub domino alterius, vt non sit particeps eiusdem dignitatis, honoris, & sedis. Et hoc modo negat Adrianus & Synodus, Christum esse Seruum; vt patet ex testimonijs & rationibus illorum. Ratio est; Quia humanitas Christi communicat cum Deo triplici communicatione. Primò, In eo quòd *omnis plenitudo diuinitatis in ipsa sit corporaliter*; id est, substantialiter, & non solo affectu & participatione: nam ipsa diuinitas est vnctio quæ humanitas sanctificatur. Secundò, Quòd ratione huius substantialis vnionis, ipsa humanitas digna sit fide maiestatis & diuino cultu. Sicut enim coniux, quæ prius erat serua, postquam assumitur à Rege ad connubium, efficitur libera, & Regina, & pari cultu honoratur: ita etiam et si humanitas Christi, secundum se serua sit, tamen postquam assumpta est in vnitate persona à Filio Dei, facta est libera, & ita deificata, vt eodem cultu adoretur. Tertiò, In eo quòd dignitas nominis communicetur. Omnia enim dignitatis nomina quæ conueniunt in Filium Dei, conueniunt etiam in hunc hominem. Sicut in matrimonio, tituli dignitatum mariti, communicantur vxori. Tertio modo accipitur nomen *Serui* generalissimè; pro omni eo, qui obligatus est ad alterius obsequium, siue sit particeps eiusdem dignitatis, siue non. Et hoc modo Christus in Scripturis dicitur *Seruus*, quasi dicas, obligatus ad diuinum obsequium. Verùm hæc acceptio non est ita propria, sicut illa secunda. Vide fusè de hac materia Gabrielis Vasquez.

Quòd Christus sit subiectus Patri per obedientiam: Patet ad Philip. 2. v. 8. *Factus est obediens usque ad mortem.* Ioan. 8. v. 29. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* & 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Patet; Quia esse subiectum per obedi-

Subiectio  
obediens.

obedientiam, nullam imperfectionem requirit in supposito secundum se considerato: Neque dominum in altero; ut patet in ciuibus, qui subiecti sunt Magistratui, non tamen Magistratus vllum habet in eos dominium, nec ipsi ad obsequium & famulatum obligati sunt, sicut serui, etiam generalissimè accepti. Sed solum requirit in supposito quandam voluntatem, quæ à superiori voluntate gubernetur. Talis autem voluntas erat in Christo. Vnde sicut humano modo operabatur, ita absolute dici potest, quòd obediebat Deo, & illi subditus erat. Nec necesse est addere illam determinationem, *vt homo*; quamuis ad vitandam omnem Ariani erroris speciem, hoc sit consultum; vt D. Thomas ad 1. notauit.

4 *Quomodo Christus sit minor Patre.*  
 Circa prædicta: Notandum est hanc propositionem, *Christus est minor Patre*, esse simpliciter negandam iuxta proprietatem sermonis, nisi aliquid apponatur, quo significetur restringi ad naturam humanam. Ratio est; Quia alioqui insinuat, hoc totum, quod est Christus, esse minus Patre; quod falsum est. Cum autè Ioan. 14. v. 28. Christus ait: *Pater maior me est*; satis indicat se loqui de natura humana; sic enim ait: *Vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Ibat autem vt homo ad Patrem. Vnde significatur Patrem esse maiorem, quam ipse erat per naturam humanam.

5 *Quomodo omnia Christum sint subiecta Pa.*  
 Circa Responsum ad 3. Notandum, illud prioris ad Corinth. 15. v. 28. *Cum autem subiecta illi fuerint omnia &c.* variè exponi. Prima expositio est, quam hic habet D. Thomas ex D. Augustino, quòd Christus tunc plenè erit subiectus Patri, quia etiam secundum membra sua illi subiectus erit: quæ etiam est multorum aliorum Patrum; vt Gregorij Nysseni in tractatu proprio super hanc sententiam Apostoli; & Cyrilli lib. 10. Thesauri cap. 8. Hæc expositio bona est: sed magis conformis Apostolo videtur, quam habet Theodoretus & Scholia Græcorum, sensum esse, etiam tunc in Gloria Christus erit subiectus Patri: Loquitur enim de Christo in propria personâ, cui Pater omnia subiecit: ne fortè quis posset exillimare Christum aliquod proprium regnū colligere contra regimen Patris: aut ne putarent Christum, etiam Patrem sibi subiecturum: sicut Iupiter suum Patrem Saturnum, iuxta fabulas subiecit.

D V B I V M.

*Vtrum Christus in Patri fuerit subiectus, vt etiam præcepto & legibus illius obligatus fuerit?*

6 *Obligatus fuit lege nature.*  
 Respondeo & Dico Primò, Christus fuit obligatus lege nature. Probatur; Quia hac lege prohibentur intrinsecè mala; & præcipiuntur intrinsecè bona, quorum omisso etiam per se mala est. Atqui Christus in humana natura verè obligabatur illa mala vitare: v.g. non mentiri, non decipere, & similia: & hæc, bona facere, vt amare & honorare Deum, diligere proximum, &c.

Dices Primò, Christus erat determinatus ad bonum faciendum, & malum vitandum, per vnionem hypostaticam & visionem diuinam: Sicut Deus necessariò determinatus est, ad mali fugam bonique amorem. Atqui Deus non obligatur aliqua lege, sed hoc est connaturale eius bonitati: ergo neque Christus obligabatur.

Respondeo Negando Consequentiam; Deus enim non habet superiorem à quo illi proueniat obligatio; vnde solum ex natura sua est determinatus. Christi autem voluntas humana, habet superiorem, à quo prouenit ei obligatio: Vnde dupliciter Christus determinatus est ad amorem boni, & fugam mali. Primò, ratione vnionis hypostaticæ, & visionis beatificæ: quæ determinatione, similis est determinationi diuinæ voluntatis. Secundò, Ratione obligationis prouenientis à voluntate superioris; quæ obligatio, est veluti proprietas quadam consequens naturam rationalem, quatenus subiecta est naturaliter potestati & dispositioni superioris. Et quidem obligatio legis naturalis, sequitur naturam secundum se consideratam: legis autem supernaturalis obligatio, sequitur naturam cleuatam ad gratiam. Loquor autem de lege supernaturali, non positiuâ, sed eâ, quæ gratiæ est connaturalis.

*Dupliciter fuit determinatus ad amorem boni & fugam mali.*

Dices Secundò, Omne præceptum, & omnis lex implicite continet hanc obligationem: Nisi feceris, eris mihi inimicus. Atqui hæc comminatione non poterat habere locum in Christo: quia implicat contradictionem Christum esse inimicum.

Respondeo; sufficit illam comminationem posse dirigi in ipsam naturam secundum se consideratam: hæc enim secundum se erat capax inimicitiae; sicut supra q. 7. a. 5. & 6. dictum est de Timore. Eadem ratio est in Angelis, dum illis aliquid præcipitur.

*Christi natura secundum se erat capax inimicitia diuina.*

Dico Secundò: habuit etiam Christus particulare præceptum docendi, & redimendi genus humanum, & pro eo vitam suam profundendi. Ita D. Thomas infra q. 47. art. 2. Et D. August. tract. 82. in Ioannem. Ambros. lib. 5. de Fide cap. 5. in fine, & c. 6. in initio. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 2.

7 *Habuit particulare præcepta.*

Probatur Primò, Ioan. 14. v. 31. *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus*: scilicet obuiam Iudæis, vt me illis tradam in mortem. Vbi satis insinuat se accepisse mandatum à Patre, vt se morti offerret. Item Ioan. 10. v. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo; scilicet ponendi Animam meam pro ouibus meis*, vt patet ex præcedentibus. Et cap. 15. v. 10. *Si præcepta mea seraueritis, manebitis in dilectione mea: Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Vbi comparat præceptum datum discipulis, cum præcepto quod ipse accepit à Patre. Atqui illud erat verum præceptum: ergo & hoc. Confirmatur; Quia quando aliqua Scriptura proprie potest accipi, non est detorquenda ad improprios sensus: vnde non est dicendum, nomen Mandati seu Præcepti improprie accipi: scilicet pro simplici voluntate.

Probatur Secundò, Quia Dominus ex obedientia se in mortem obtulit. Ad Philip. 2. v. 8. *Factus obediens vsque ad mortem.* & ad Rom. 5. v. 19. *Sicut per vnus inobedientiam, peccatores constituti sunt multi; ita per vnus obediendum, iusti constituentur multi.* Sed obedientia proprie non est, nisi vbi est verum præceptum: vt patet, tum ex communi vsu, tum ex doctrinâ quam tradit D. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2.

Sed contra. Obijcitur Primò, Ex D. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 8. vbi dicit seruire esse, & à diuinâ dignitate immenso femotum interualle, cogitare quòd Christo particularibus mandatis vnus.

8 *Obiectio ex D. Basilio.*

vniuscuiusq; operis ministerium commissum sit.

Respondeo, manifestè loquitur de Christo secundum diuinitatem contra Arianos: & sic mandatum vult nihil aliud significare, quàm quod Filius omnia facit virtute accepta à Patre, & consentaneè Patris voluntati. Fateor tamen non habuisse particulare mandatum cuiusque operis, & circumstantiæ particularis.

2. Obiectio ex D Chrysofomo.

Obijcitur Secundò; Chrysofomus hom. 59. 68. & 75. in Ioan. quibus locis fusè docet & probat Christum nullum habuisse præceptum Patris: sed omnia spontè, liberè, solâ charitate fecisse.

Respondeo, Chrysofomus interdum loquitur vt Basilius contra Arianos, negans omne verum mandatum respectu diuinitatis Christi. Interdum loquitur de præcepto, more populari; nam iuxta sensum popularem non imponuntur præcepta, nisi ob imperfectionem, vt voluntas timore pœnæ vel culpæ quodammodo cogatur, vel saltem vt per illud dirigatur: sic enim Christo nullum impositum præceptum; tum, quia nullâ directione egebat, cum omnia per se nosset; tum etiam, quia factis ex se promptus erat etiam ad paternâ consilia. Si tamen more eruditorum loquamur, sic Christo fuit impositum præceptum; non tamen ob directionè vel coactionè, sed ob alias causas.

Varia causa est cur Christo imposita sint præcepta.

Primò, vt magis declararetur diuina dilectio erga nos, quorum causa tam graue iugum Filio imponeret. Secundò, vt ostenderetur quantum Deo subiecti sumus, cum humanitas assumpta tantum subdita fuerit. Tertiò, vt sicut Adam per inobedientiam, Dei præceptum violando, totum genus humanum perdidit; ita Christus per obedientiam, Patris præceptum seruando, illud restitueret: ad Rom. 5. idque etfi Adæ præceptum esset facillimum, Christi difficillimum. Deinde, vt Iudæorum retunderetur calumnia, qui dicebant Christum diuina mandata soluere. Vide Toletum in cap. 10. Ioan.

3. Obiectio ex Ioan. 10.

Obijcitur Tertiò; Ioan. 10. v. 18. Dominus ait, se habere potestatem ponendi animam suam: ergo poterat etiam non ponere. Respondeo; Absolutè, seu in sensu diuiso habebat in sua potestate non mori: Vnde Matth. 26. v. 53. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus, quam duodecim legiones Angelorum? Poterat enim suâ virtute diuinâ, omnia tormenta excludere; poterat admissis tormentis, animam contra illorum vim retinere; tamen ex suppositione fieri non poterat, quin moreretur; nempe supposito quòd hoc erat prædictum à Prophetis, aut præceptum à Patre. Hoc tamen non impedit quin absolutè habuerit potestatem moriendi: vt patet in ipsâ diuinitate, quæ interdum ex suppositione aliquid necessariò facit, tamen absolutè potest non facere.

4. Obiectio.

Obijcitur Quartò, Non erat in Christi potestate vt tali morte defungeretur; nempe interuenientibus sputis, alapis, blasphemijs, flagellis, cruce &c. Nam hoc pendeat à malitiâ Iudæorum & Gentilium. Ergo non poterat hoc Christo præcipi. Respondeo ex Anselmo lib. 1. Car Deus homines non mori, cap. 9. & 10. Christo tantum fuisse præceptum, vt veritatem in tali gente prædicaret, legem Euangelicam institueret; & mortem, quam illi illaturi erant, pro redemptione generis humani perferret. Non est autem necessarium, vt omnes Christi actiones, & omnes circumstantiæ passionis

Singule actiones non fuerunt Christo præcepte.

eius, fuerint præcepta: nam hoc nullum habet fundamentum in Scripturis vel Patribus. Nec Martyribus ista præcepta fuere.

Petes; An præceptum moriendi pro hominibus, fuerit merè positium, An potius naturale?

10. Præceptum moriendi fuit naturale, vt quidam cenfent.

Quidam exultimant fuisse naturale, suppositâ diuinâ ordinatione, qua statutum erat hominem non aliter posse saluari. Ratio est; Quia obligatio subueniendi proximo extrema necessitate pressa, est naturalis; scilicet ex vi charitatis. Et Confirmatur; Quia si quiuus priuatus naturali præcepto charitatis teneret vitam corporalem profundere pro salute spiritali proximorum in extremâ necessitate conflutâ, vt omnes Doctores docent, & præsertim pro salute totius Reipublice: ergo multò magis Pastor; qui etiam ex officio tenetur Animam ponere pro ouibus suis. In hanc sententiam videtur inclinare Anselmus.

Ioan. 10. v. 11.

Sed verius videtur præceptum moriendi non fuisse naturale Christo, sed positium. Ratio est; Quia ex hoc præcisè, quòd genus humanum non poterat esse saluum nisi per mortem illius, non tenebatur se in mortem dare: nam vita ipsius, erat vita Dei; & malum quod ipsi inferebatur, Deo inferebatur. Atqui bonum Dei præstat omni bono creaturæ; & malum Dei, quaterius tale est, magis est execrandum, quàm omne malum creaturæ. Vnde cum esset Deus, non tenebatur aliquid mali subire causa creaturæ; nisi diuinitas, quæ suâ bonitate omnia supplet, id vellet.

Verius est fuisse positium.

Dico Tertiò; Præter legem naturalem, & mandatum Redemptionis humanæ, Christus non videtur alteri vlli legi obnoxius fuisse. Ac primò; nulli legi humanæ suberat; quia erat omnium Dominus, habens supremam in omnes potestatem. Quòd confirmatur Matth. 17. vbi probat se non esse subiectum tributis, quia Filij Regis sunt liberi: ipse autem erat Filius Regis Regum.

11. Nulli suberat legi humana.

Secundò, Nec etiam legi diuinæ positivæ alijs hominibus constitutæ. Nam lex diuina positiva, vel est Noua, vt ea quæ pertinent ad Sacramenta: vel est Vetus, scilicet Mosaica. Christus autem neutram tenebatur. Non Nouâ, quia ipse erat eius auctor. Nec obstat quòd leges à Principibus latæ, etiam ipsos latores obligent; vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 96. art. 5; quia id solum fit, quando ratio legis, æquè in Principe, atque in subditis locum habet; vt leges circa pretia rerum: nam Princeps quasi sub hac conditione potestatis à Republica accipit. At leges quas tulit Christus, non pertinebant ad statum eius, sed ad statum hominum purè viatorum. Sicut si Princeps ferat legem, quæ propriè ad statum inferiorum pertineat, ipse eâ non obligatur. Adde; Quòd Christus erat summus Legislator qui non acceperat potestatem ab hominibus vel à Republica.

Neque Evangelica.

Quòd autem nec Veteri lege obligatus fuerit, probatur Primò: Quia lex Vetus dumtaxat populo Iudaico, eiusq; posteritati, (vt omittam Profelytos) data est. Atqui talis lex non comprehendit nisi eos, qui naturali modo ex tali populo procreantur. Sicut Lex data Adamo & eius posteritati in ipso, non comprehendit Christum, qui secundum virtutem seminariam in Adamo non continebatur. Ergo pari modo Christus non obligabatur lege Veteri. Secundò; Quia Christus erat Dominus legis Veteris. Matth. 12. v. 8. Dominus est Filius hominis etiam sabbati: ergo nullo modo illi

Neque Mosaica.

illi erat subiectus. Tertio, Quia lex vetus erat imperfecta, & ea quae in ipsa praecipuntur erant infirma & egena elementa, iuxta Apostolum ad Galat. 4. v. 9: ergo non decebat auctorem perfectionis illis subijci. Quarto, Quia Lex vetus posita erat propter transgressionem, donec veniret semen cui promissum: id est, Christus: ad Gal. 3. v. 19. Item erat praedagogus noster in Christo, id est, preparans, & adducens nos tamquam pucros ad Christum, ut ibidem dicitur: ergo eius obligatio ad Christum non pertinebat. Denique Lex solum erat umbra futurorum honorum sub Christo, ad Heb. 10. v. 1. definenda & abolenda per Christum: sicut umbra deletur praesente luce. Atqui non decebat ut veritas subieceretur umbræ. Hinc patet contrariam sententiam quam tenuit Ioannes Medina, non esse probabilem.

Medina.

Dices Matth. 5. v. 17. Dominus ait: Non veni solvere legem, sed adimplere. Atqui nemo proprie legem implet nisi qui ea tenetur. Et Confirmatur: ad Gal. 4. v. 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Respondeo, Christus implevit legem, sicut donatio implet promissionem, & veritas figuram: non autem, sicut debitor obligationem: ut docet D. Tho. infra q. 47. a. 2. Ad Confirmationem: Est factus sub lege, non quod ipse quidquam legi deberet, qui vnus est legislator &

Quomodo Christus legem impletis.

Iudex, sed ut eos qui sub lege positi erant, de seruilis conditione quae sub lege erat, eriperet: ut rectè Anselmus in hunc locum. Itaque non obligatione (hoc enim seruilis est conditionis:) sed voluntaria obseruatione legi suberat.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus sibi ipsi subiectus sit?

Respondetur; Non est sibi subiectus ratione suppositi, quia in Christo non sunt duo supposita, ut volebant Nestoriani: sed ratione naturæ, quatenus vna natura est subiecta alteri.

12

Notandum est; Non esse absolute dicendum, Christum esse sibi ipsi subiectum, sibi ipsi obedientem, seipso maiorem vel minorem; quia significatur distinctio suppositi: quare aliquid addendum, quo determinetur natura, secundum quam, comparatio sit accipienda. Itaque Christus ut homo, est subiectus sibi secundum diuinitatem: & Christus ut Deus, est Deus sui secundum humanitatem; & sic de ceteris. Et Ratio est; Nam ex diuersis naturis cum diuina persona constituantur virtute duae personae; & ita secundum diuersas naturas potest habere has comparationes & relationes ad seipsum.

QVÆSTIO XXI.

De Oratione Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. II. III. IV.

Prima Conclusio: Christo, ut homo est, conuenit orare pro nobis. Patet Lucæ 6. v. 12. Exiit in montem orare.

Secunda Conclusio: Christus non orabat per partem sensitivam; desiderium tamen partis sensitivæ oratione expressit: idque ad nostram instructionem & consolationem. Patet cum ait: *Transseat a me Calix iste*, Matth. 26. v. 39.

Tertia Conclusio: Christus orauit tum pro se; ut patet Ioan. 17. tum pro alijs; ut patet ibidem.

Quarta Conclusio: Christi oratio absoluta, semper fuit exaudita; conditionata, minimè.

Circa hos quatuor Articulos: Notandum est, Fide certum esse, Christum in hac vitâ, & pro se, & pro nobis orasse Patrem, atque adeo totam Trinitatem. Patet ex multis Scripturæ locis, Luc. 22. v. 31. *Simon rogavi pro te, ut non desiciat fides tua*, Ioan. 17. *Orabat pro se, pro Discipulis, & pro toto mundo*. Luc. 23. *Pro Crucifixoribus*.

Oravit pro nobis in hac vita.

Dices, Christus ut homo omnia poterat quæ ad finem Incarnationis pertinent: ergo non egebat oratione. Respondeo; Omnia poterat, sed per media à Deo ordinata; inter quæ, vnum erat oratio. Etsi enim diuina virtus ita illi assisteret, ut mox fieret quidquid absolute vellet, tamen diuinitus ordinatum erat, ut non semper vellet quiduis nisi interuentu orationis. Proprie tamen non egebat oratione, ut passim docent Patres: nam & ea quæ pro se petebat, & quæ pro alijs, erant alijs titulis debita.

Constitutum autem diuinitus fuit ut oraret:

Primò, Ut omnibus modis nostram salutem operaretur; nempe merendo, satisfaciendo, & impetrando. Vnde sicut meritum & satisfactio; ita & oratio erat medium ad nostram salutem constitutum.

2  
Varia conuenientia eius orationis.

Secundò, Quia oratio est eximius Religionis actus. Vnde Christus crebro orauit, non solum externâ oratione, sed etiam internâ. Luc. 6. v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei*. Item in deserto per quadraginta dies orabat; ut docet Abulensis in cap. 4. Matth. q. 15. Tertio, Propter exemplum, ut docet D. Ambrosius in c. 6. Lucæ. §. de oratione IESU in monte: ubi etiam fuse ostendit Christum non eguisse oratione, eò quod omnia posset tamquam Iudex, sed exempli causa orasse. Quarto, Ut ostenderet se esse missum à Patre cœlesti, & ab ipso omnia habere. Ioan. 11. v. 42. *Propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti*. Vide Iustinum Martyrem q. 105. ad Orthodoxos.

D V B I V M.

Vtrum Christus etiam nunc in celo proprie pro nobis oret?

Respondet & Dico Primò; Certum est Christum in celo interpellare pro nobis. Ad Rom. 8. v. 34. *IESVS Christus qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Ad Heb. 7. v. 25. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*. 1. Ioan. 2. v. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum iustum, &c.*

3  
Interpellat pro nobis in celo.

M m Dices;